

The Electronic Manipulus florum  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Relinquere t  
cum fontibus proximo et primo

*Manipulus florum*, Relinquere t:

Illi qui

ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant,

in bonis que faciunt sacrificium offerunt  
quia aliquid Deo immolant  
et aliquid sibi reseruant.

Qui uero nichil sibi reseruant,

offerunt holocaustum quod magis est sacrificio.

Gregorius super Ezechielem.

Fons proximus:

Unde Gregorius dicit, *super Ezech.*, quod  
illi qui

ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant,

in bonis quae faciunt sacrificium offerunt,  
quia aliquid Deo immolant,  
et aliquid sibi reseruant:

qui uero nichil sibi reseruant,

offerunt holocaustum, quod est maius sacrificio.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae*,  
*Secunda secundae*, 186.3 (P. Caramello ed., p.820).

Fons primus:

Nam sunt  
quidam qui  
adhuc mente in hoc mundo retinentur, et tamen  
ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant,  
oppressos defendere festinant. Isti  
in bonis quae faciunt sacrificium offerunt,  
quia et aliquid de actione sua Deo immolant,  
et aliquid sibimetipsis reseruant.

Et sunt quidam  
qui nihil sibimetipsis reseruant,  
sed sensum, linguam, uitam atque substantiam quam  
perceperunt omnipotenti Domino immolant. Quid isti nisi  
holocaustum

← offerunt, imo magis holocaustum fiunt?

Israeliticus enim populus primum sacrificium in Aegypto  
obtulit, secundum uero in eremo. Qui itaque adhuc mentem  
habet in saeculo, sed boni iam aliquid operatur, Deo  
sacrificium obtulit in Aegypto. Qui uero praesens saeculum  
deserit, et agit bona quae ualet, quasi iam Aegypto derelicta  
sacrificium praebet in eremo, quia, repulso strepitu  
carnalium desideriorum, in mentis suae quiete atque  
solitudine Deo immolat quicquid operatur. Quamuis ergo,  
sicut dictum est, sacrificium sit etiam holocaustum, maius  
tamen est holocaustum sacrificio, quia a mente quae huius  
mundi dilectione non premitur, totum in omnipotentis Dei  
sacrificio incenditur quod habetur.

→

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechielem prophetam*,  
2.8.16 (CCSL 142, M. Adriaen ed., pp.348-9, ll.461-480).